



1. Arnoldi Joh. Conr. diff. de Deo, Mundo et Homine, Gisse 1719.
2. Baumgarteni Sijism. Jac. diff. ad verba Rom. 1. v. 4. Hald 1738.
3. Beumleri Marci diff. de libero Nature Tiguri 1797.
4. Gernerii Salam. Theres. de Sacramentis in genere, Wittenbergæ 1596.
5. Hartmanni Joachimi diff. Sirtens Vati-
cinum Simeonis. Rostochij 1744.
6. Heilbronneri phil. diff. proponendi
Antitheria Doctrinae petri Apostoli et
Pontificis Romani, Lauingæ 1597.

117

Disputatio Theologica
**DE DEO UNO ET
TRINO,**

Quo clementer annuente & juvante,
**PRÆSIDE M. BALTHASAR-
RE MENTZERO, S. S. THEOLOGICÆ IN**
*Academia Marpurgensi Professore ordinario, ad subjectas
theses, pro ingenii viribus re-
spondebit*

**M. EBERHARDUS MESOMY-
LIUS WETTERANUS.**

*14. die Julii, in Theologorum auditorio, horis
pomeridianis.*



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typog. Acad.

clō. Io. xcviii.

Nov. H. 6

DE DEO ET

TRINITY
Gloria in excelsis deo
PATRI B. MARIE V. I. JOHANNIS

AD ROMANOS

IN
CANTU
S. JOHANNIS

IN
CANTU
S. JOHANNIS



THESES THEOLOGICAE

De Deo uno & trino.

THESIS I.



- N*otius scripturae sacrae finis summus est Dei notitia: in qua vita aeterna consistit. Johan. 17. vers. 3.
2. Et causa prima & summa omnium creaturarum Deus est. Genes. 1. Johan. 1. v. 3. Apoc. 1. v. 8.
 3. Locus ergo de Deo rectè primus constituitur in Theologica institutione.
 4. Porro esse Deum negat quidem in corde suo impius, Psal. 14. v. 1. & 53. v. 1.
 5. Sed tamen ostenditur certis & immotis argumentis, tum ex ipsa rerum natura depromptis (quam naturalem Dei notitiam vocamus) tum ex verbo Dei (quam dicimus notitiam revelatam).
 6. Notitia naturalis existit tum ex notionibus menti humanae insitis, Rom. 1. v. 19. tum ex consideratione operum Dei in creatione & gubernatione totius universi, Rom. 1. v. 20. Act. 14. v. 17. & 17. v. 17.
 7. Hinc ille Philosophorum definitiones extructae sunt: Deus est essentia seu mens aeterna, causa boni in natura. Speusippus in definitionibus Platonis. Una est omnium causa, unus Deus omnium Dominus, à quo solo peti debet omne bonum. Jamblichus de secta Pythagorae.
 8. Sed est haec notitia naturalis valde languida & imperfecta, neque sufficere ad salutem potest.
 9. Tota enim philosophia nihil novit de Evangelio: & particulam tantum legis explicat: & facile excutitur dubitationibus. Vide Cicero-nem de natura deorum, & in prima Tuscul.
 10. Quare serio improbamus illorum opinionem, qui philosophos putant sine Christo salvari potuisse, si dignioris Dei ex natura cognitum ipso opere implevissent.
 11. Et nihilominus utilis est illa notitia naturalis, ad externam disciplinam

plinam inter homines conservandam reverentiã numinis, Rom. 2. vers. 15.

12. Et est illa quædam quasi manu ductio ad inquirendum, quisnam sit ille verus Deus creator & gubernator omnium, Act. 17. v. 27.

13. Deniq; reddidit homines inexcusabiles, quod Deum non ut Deum glorificaverint. Rom. 1. v. 20. 21.

14. Revelata Dei notitia petitur ex verbo Dei, in quo Deus seipsum manifestavit, & eam patefactionem illustribus miraculis confirmavit. Joh. 1. v. 18. Matth. 11. v. 25. 1. Cor. 1. v. 21. Joh. 20. v. 30. 31.

15. Hæc notitia salutaris est, per quam vita æterna acquiritur. Joh. 17. v. 3. Et est propria Ecclesiæ. Psal. 147. v. 19. 20.

16. Quamquam autem perfecta aliqua Dei definitio dari non potest (cum sit ipse infinitus, neq; materiam habeat sive genus) rectè tamen illi faciunt, qui ex scriptura ita Deum describunt, ut aliquo modo quid & quis sit, & quæ sit ejus voluntas, cognosci possit.

17. Ubi locum habet illud Augustini: Si non potes invenire quid sit Deus, piè tamen caveas de eo sentire, quod non est.

18. Sic itaq; veteres Hebræi Deum definierunt: quod sit Jehovah Elohim, id est, una essentia trium personarum.

19. Sed addenda est etiam voluntatis divinæ descriptio, quæ quidem in sacris literis nobis est revelata.

20. Rectè enim monet D. Lutherus, non in prædicamento substantiæ querendum esse Deum, ne à gloria & majestate opprimamur: sed in prædicamento relationis: hoc est, Dei voluntatem esse discendam ex ejus verbo. Super Genes. c. 17. & 22.

21. Quare repetimus definitionem Dn. Philippi Melanchthonis: Deus est essentia spiritualis, intelligens, æterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, justa, casta, misericors, benefica, liberrima, immense sapientiæ & potentia, irascens peccatis: Pater æternus, qui filium imaginem suam ab æterno genuit, & filius imago patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à patre & filio, sicut patefacta est divinitas certo verbo & testimoniis divinis, quod Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto

sancto condiderit & conservet caelum & terram, & omnes creaturas,
& adsit omnibus creaturis, quo ad conservationem, & colligat sibi in
genere humano Ecclesiam propter filium, & per eum, & sit iudex iusto-
rum & injustorum.

22. Quae definitio pulchrè explicat tum quid & quis Deus, tum quae
sit ejus voluntas.

23. Nimirum Deus est unus in essentia, & trinus in personis, hoc est,
trinitus.

24. Est, inquam, Deus essentia, ^{ὅτι} substantia, natura, (non nomen
universale, aut ^{ὁνομα καὶ δόξα}, seu Logicus conceptus mentis, sed essentia
revera existens) ^{ὁ ὢν}, Jehova, Exod. 3. v. 14. Apoc. 1. v. 8. per se & in se
ipso subsistens, & à quo esse suum habent & sustentantur, quaecumq; sunt.
Act. 17. v. 24. 28. Hebr. 1. v. 3.

25. Est autem essentia non corporalis, distinctis membris constans, ut
Anthropomorphitæ somniant, nonnullis scripturae dictis perperam in-
tellectis decepti: sed spiritualis. Job. 4. v. 24. 2. Cor. 3. v. 17.

26. Et tamen manet immensum discrimen inter hunc Spiritum infi-
nitum, & inter angelos, qui & ipsi spiritus in scriptura nominantur.
Hebr. 1. v. 14.

27. Adeo ut non defuerint, qui respectu simplicissimæ essentiae di-
vinæ angelos vocare ausi sint corporatos. Nos mallems dicere compositos,
scilicet ex essentia & accidentibus.

28. Deniq; hæc essentia una est, hoc est, unus est Deus, Deut. 6. v. 4.
Audi Israel, Jehova Deus noster Jehova unus est.

29. Unus, inquam, est Deus, non genere (sicut animal est genus ho-
minis & bestiae) non specie (sicut homo est species Pauli & Petri) non
^{πᾶσι θεοῖς}, neq; tantum consensu, voluntate aut concordia: sed unus essen-
tiâ, & unus numero. Deut. 4. v. 35. Jehova est Deus, & non est alius
præter eum. Esa. 44. v. 6. Præter me non est Deus. 1. Cor. 8. v. 4. Nullus
est alius Deus, nisi unus.

30. Quare deploranda est cecitas Ethnicorum, ^{Ἰσχυροῦ θεῶν} (ut loquar
cum Nazianzeno sermone de natalitiis Christi) pro uno vero Deo co-
lentium.

lentium. Quorum deorum varia tūc genera, tūc nomina & officia ex Varrone recitat D. Augustinus de civitate Dei, lib. 6. & 7.

31. Detestanda etiam est Valentini (circa annum Christi 139.) insania, confingentis monstruosam multitudinem deorum, & singulis operibus Dei singulos deos attribuentis. Vide Irenaeum, Tertullianum & Epiphanium.

32. Execrandus quoque est error, quem à Cerdone hausit & sparsit Marcion (circa annum Christi 157.) de duobus diversis diis; altero veteris Testamenti justo, se vero, puniente peccata: altero Novi Testamenti misericorde, longanimi, benefico. Vide Tertulliani libros quinq; contra Martionem.

33. Denique Manetis furor (circa annum Christi 274.) condemnandus est, fingentis duos deos, unum Bonum, alterum Malum, pariter æternos, & sibi invicem inimicos & contrarios. De Manichæis vide apud Augustinum variis locis.

34. De iis, qui dicunt tres esse Spiritus æternos, essentiali numero differentes, commodius infra dicetur, ubi tractabimus de discrimine personarum trinitatis.

35. Addimus tamen & hoc, illos non posse simpliciter ab opinione plurium deorum absolvi, qui verbo quidem unum Deum profitentur, re ipsa autem divinum cultum exhibent pluribus vel defunctis sanctis, vel confectis numinibus.

36. Hactenus de unitate divinæ essentia dictum est. Videbimus nunc de eius attributis, quæ in definitione recitantur.

37. Quæ attributa non sunt accidentia in Deo, aut qualitates ab essentia Dei diverse: sed ita dicuntur, quia scriptura divina essentia ea attribuit, & de illa prædicat. Et sunt omnia essentialia.

38. Solent autem sic distingui, ut quædam dicantur attributa ἀνοικώ-
vηtu incommunicabilia, quædam κοινώvηtu communicabilia.

39. Ανοικώvηtu sunt tūc absolutissima simplicitas, tūc infinitas.

40. Est enim divina essentia simplicissima, prorsus expers omnis compositionis & divisionis, adeoque omnium accidentium.

41. Unde

41. Unde Scholastici rectè dicunt ex Cyrillo lib. 11. Thesauri. c. 1. *Deo* Deum non cadit accidens. Damasc. lib. 1. c. 18.
42. Et verè Augustinus lib. de essentia divina: simplex natura est, inquit, & immutabilis atq; imperturbata, neq; aliud est ipse (Deus) & aliud quod habet, & quod est.
43. Quicquid ergò ut attributum dicitur de divina natura, id *deus* essentialiter prædicatur, non accidentaliter.
44. Deinde infinita est divina essentia, hoc est, tum immensa, tum aeterna.
45. Per immensitatem implet & complectitur omnia, non mole aut quantitate, sed *deus*, nusquam exclusa, nullibi inclusa. 1. Reg. 8. vers. 27. Psal. 139. v. 7. 10. Jerem. 23. v. 24. Act. 17. v. 27.
46. Unde augeri minuive nequit, sicut nec multiplicari aut extendi vel distendi.
47. Non enim probare possumus, quod quidam scripsit: Cum Deus dicitur sua essentia ubiq; esse atq; omnia replere, verbum essentiae haud omnino propriè accipi, sed tantum pro majestate quadam vera atq; essentiali, qua Deus omnia repleat.
48. Per aeternitatem deitas sibi omnia habet presentissima, nihil præteritum, nihil futurum, sed est expers omnis temporis, principio & fine carens, Gen. 21. v. 33. Psal. 90. v. 4. & 102. v. 27. 28. Daniel. 6. v. 26. Rom. 16. v. 26.
49. Quare est immutabilis, Malach. 3. v. 6. Jacob. 1. v. 17.
50. *Attributes* *καὶ ἐκείνη* vocantur, quorum similia effecta spectantur in creaturis, & ab iisdem denominantur.
51. Qualia sunt: Sapientia, potentia, veritas, bonitas, justitia, castitas, misericordia, beneficentia, libera voluntas, &c.
52. Quæ quidem in Deo sunt essentialia vel ipsamet essentia. In creaturis verò sunt accidentia.
53. Unde Deus non tantum est justus, sapiens, verax, bonus: sed est etiam ipsa justitia, sapientia, veritas, bonitas, Joh. 14. v. 6.
54. *Ἄρα* ista omnia in Deo non multa sunt, sed unum, sicut Deus
 41155

unus est, id est, una essentia. Sed nostri captus causa multa dicuntur, ut
hoc modo magis magisque de Deo erudiamur.

55. Progredimur nunc ad distinctionem trium personarum in una es-
sentia divina. Ubi premitimus utilissimam Athanasii regulam in
Symbolo: Neque confundamus personas, neque substantiam separemus.

56. Personæ vox hic non accipitur, ut apud profanos scriptores non-
nunquam usurpari solet, pro qualitate, habitu, aut officii distinctione:
sed ex usu Ecclesiæ pro ὑποστάσει seu ὑπόστασι.

57. Quam sic definimus: Persona est subsistens vivum, individuum,
intelligens, incommunicabile, non sustentatum ab alio.

58. Quanquam autem ista vox personæ sive ὑπόστασις hac significa-
tione in scripturis non reperitur: (nam in loco, Hebr. I. v. 3. quem non-
nulli huc transferunt, nobis non videtur ὑπόστασις notare personam, ut ab
essentia sive natura distinguitur, sed potius essentiam, cum filius Dei sit
essentialis seu substantialis imago patris, ut Ecclesia loquitur, non autem
personalis: quia essentiam filio pater communicat, non personam. Et
personam filius à patre distinguitur, tanquam alius ab alio. Ut jam non
dicam etiam Spiritum sanctum vocari imaginem patris à nonnullis
veteribus:) tamen pie usurpatur ad protrahendos ex insidiis hereticos,
ne incautos fallant suis ambiguitatibus. Vide disputationem Athanasii
cum Ario coram Probo gentili iudice, & August. tractat. 97. in Johan-
nem. Et Basilium epistola 43.

59. Porro tres sunt in una divina essentia personæ: Pater, Filius, &
Spiritus sanctus.

60. Quæ personæ inter se realiter & verè discernuntur, nempe τὸ ἕν
(non ὑπόστασις) ἢ τρεῖς ὑποστάσεις, ut alia sit persona pater, alia filius, alia Spi-
ritus sanctus: nam Pater non est Filius, aut S. sanctus: neque Filius est Spi-
ritus sanctus aut Pater: neque Spiritus sanctus est Pater aut Filius.

61. Quod discrimen solet appellari ὑποστατικὸν personale, non essentia-
le nec accidentale.

62. Unde veteres Orthodoxi dixere, quod sit in trinitate ἕν ἰσὺς ἕν ἰσὺς,
alia atque alia persona: non autem ἕν ἰσὺς ἕν ἰσὺς, alia atque alia essentia.

63. Essen-

63. *Essentia enim, ut diximus, una est, quæ communis est Patri & Filio & Spiritui sancto: Ratione cuius dicuntur personæ invicem inconfuse* *περὶ ἑαυτῶν* *immerare, vel, ut Scholastici loquuntur, circumincedere. Damascenus lib. 1. c. 19. & 3. c. 5. de Orthodoxa fide.*

64. *Et hæc una essentia divina planè idem est, quod tres illæ personæ simul junctæ. Ut rectè & verè dicatur, trina unitas, & una trinitas. Quod ipsum notat vox ὁμοῦσι in Symbolo Nicæno Ario opposita.*

65. *Adeoq; personæ singulæ non differunt ab essentia divina realiter, sed tantum τῷ λόγῳ: nisi quis velit introducere quaternitatem: quod absit.*

66. *Nam persona non est aliud, nisi essentia divina suo charactere seu proprietate vel τῷ ἑαυτῆς ὀνόματι insignita & limitata.*

67. *Unde fit, ut, cum essentia sive natura divina sit communicabilis, adeoq; communis tribus personis, Patri, Filio, & Spiritui sancto (tota enim est in personis singulis) persona sit incommunicabilis (subintellige alii personæ. Nam persona τῷ λόγῳ communicata est natura humana assumpta: de quo alibi.)*

68. *Quæ omnia pulcherrimo dicto & memorabili complexus est Nazianzenus in sermone de sacro baptisate. ἕ φθάνω τὸ ἐν νοῦσαι, καὶ τοῖς τείσι περιλάμπομαι. ἕ φθάνω τὰ τεῖα διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἐν ἀναφέρομαι. Non possum unum cogitare, quin trium fulgore mox circumfundar. Nec tria possum discernere, quin subito ad unum referar.*

69. *Utuntur hic nonnulli veteres & recentiores illustrationis ergo quibusdam similitudinibus, solis, ignis, animæ, &c. quorum pium studium ut meritò commendamus, ita judicamus admodum sobriè & circumspèctè de tanto mysterio, quod omnium summum est, philosophandum esse.*

70. *Porro, etsi hæc sublimis doctrina de S. S. trinitate clariùs in Nov. Testamento, quàm in vetere innotuit: non desunt tamen etiam illic luculenta & solida testimonia, quæ ut essentia divina indivisam unitatem, sic etiam personarum inconfusam pluralitatem firmiter ostendunt.*

71. *Quæ testimonia ut certo ordine collocari, & utiliter considerari possint,*

B

possint,

possint, commendamus studiosæ iuventuti sequentes regulas, à gravissimo Theologo Dn. D. Chemnicio propositas, quas hîc adscribemus.

72. *Regula prima.* Ubi scriptura Deum plurali numero appellat, certum est pluralitatem personarum ostendi, modo, qui dispensationi illorum temporum conveniebat. Ut: Gen. I. v. I. *In principio creavit Elohim* (*personæ trinitatis, Pater per Filium in Spiritu sancto*) *cælum & terram.* Gen. 3. v. 5. *Eritis sicut Elohim, hoc est, divinæ personæ.* Josu. ult. v. 9. Jerem. 10. v. 10. Item Gen. 2. v. 26. & 3. v. 2. & II. v. 7.

73. *Quid recentiores Rabini & alii judaizantes hîc nugentur, nos parùm curamus: maximè quando conferimus alios scripturæ locos cum istis. Nec ferendum est perpetuum Ecclesiæ consensum in illorum dictorum pia expositione temerè convelli.*

74. *Secunda regula ex D. Luthero de ultimis verbis Davidis.* Ubi cunq; in scriptura legis Deum loqui de Deo, tanquam personam de persona, ibi tutò affirmes significari tres personas divinitatis. *Duabus enim nominatis simul significatur persona Spiritus sancti loquentis in scriptura.* Ut: Ose. I. v. 7. *Salvabo eos in Domino Deo suo.* Gen. 19. v. 24. *Dominus pluit à Domino, hoc est, Filius à Patre, testante Spiritu sancto.* Esa. 60. v. 19. & c. 42. & 53. & passim alibi.

75. *Tertia regula.* Quando nomen Dei Jehova, יהוה, in eadem sententia bis vel ter repetitur, certum est, discrimen personarum, licet obscure, proponi. Ut Psal. 67. v. 8. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Deut. 6. v. 4. Esa. 6. v. 3. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Zebaoth.* Num. 6. v. 3. Esa. 33. v. 22.

76. *Quarta regula.* Sæpè non solùm iteratione nominum insinuatur personarum trinitas in veteri Testamento, sed ita describitur, ut necessariò manifestum statuatur discrimen personarum in unitate essentia. Ut: Exod. 23. v. 20. *Jehovah mittit angelum, cui nomen Jehovah.* Jere. 23. vers. 5. 6. & c. 33. v. 15.

v. 15. 16. Jehovah suscitatur germen, cui nomen Jehovah. Psal. 33. v. 6. Daniel. 9. v. 19. Psal. 2. v. 7. & 110. v. 1. 3. 5.

77. In novo autem Testamento (ubi exortus sol ille justitiae, Malach. 4. v. 2. splendidiore de se radios emittit, Rom. 13. v. 12.) mysterium trinitatis clarius proponitur: Ut nimirum constaret, quae persona trinitatis assumpsisset naturam humanam.

78. Quare primo occurrit illustre pluralitatis personarum argumentum in incarnatione filii Dei. ὁ λόγος, verbum, sermo, Filius Dei, factus est caro, id est, homo. Joh. 1. v. 14. Ubi sic concludimus: Filius factus est homo, non Pater aut Spiritus sanctus. Ergo verum & reale discrimen est inter illas personas.

79. Deinde insignis admodum trinitatis patefactio est in baptismo Christi, Matth. 3. v. 16. 17. Marc. 1. v. 10. 11. Luc. 3. v. 21. 22. Joh. 1. v. 32. 33. ubi Deus Pater de caelo clamat: Deus Filius stans in Jordane baptizatur: Deus Spiritus sanctus in specie columbae descendit super Christum.

80. Tum Baptismi institutio manifestò ostendit S. S. trinitatem, quando baptizari nos Christus jubet in nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Matth. 28. v. 19.

81. Praeterea eximium est illud Apostoli testimonium, 1. Joh. 5. v. 7. Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt.

82. Qui locus etsi in plerisque veteribus codicibus (forte haereticorum fraude) non invenitur: merito tamen à nobis magni fit, & judicamus commodissimè toti contextui eum congruere, & rectè interseri posse.

83. Addo etiam hoc praclarum argumentum ex verbis Christi, Joh. 8. v. 17. In lege vestra (Deut. 17. v. 6. & 19. v. 15.) scriptum est (inquit Christus ad judaeos) quod duorum hominum testimonium idoneum est. Ego is sum, qui testor de meipso, & testatur de me, qui misit me Pater. Ubi necesse est fateri Christum & Patrem esse duas distinctas personas, ac proinde testimonium eorum esse idoneum. Nisi ineptè à Christo allegatam esse dixeris legem Moysi: quod absit.

84. Deniq; huc pertinent illa dicta, in quibus apertè dicitur Pater

alius, alius Christus, alius Spiritus sanctus, intellige alia persona. Job. 5. v. 31. 32. Si ego testor de me ipso, inquit Christus, testimonium meum non est idoneum. Alius est qui testatur de me: nempe pater: v. 37. Ergo alius est Pater, alius Filius, hoc est, distincta persona.

85. *Sic Job. 14. v. 16. Ego rogabo Patrem, inquit Christus, & alium consolatorem dabit vobis. Ecce alius qui dat, Pater: alius quem dat, Spiritus sanctus: alius propter quem dat, Filius Iesus Christus. Insignis locus!*

86. *Antiquitas huc retulit particulas illas, Rom. 11. vers. 36. Ex ea (Patre) & per eum (Filium) & in ipsum (Spiritum sanctum) sunt omnia. Sed recte Basilius lib. de Spiritu sancto monet, sacram scripturam liberius illis Syncategorematis usam esse.*

87. *Ex his quae diximus clare constat, tres verè distinctas esse in una divina essentia seu natura personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.*

88. *Pater est verus Deus. Filius est verus Deus. Spiritus sanctus est verus Deus. Nec tamen sunt tres dñi, sed unus Deus. Symbolon Athanasii.*

89. *Non est enim Pater extra Filium, Job. 8. v. 16. nec Filius extra Patrem, Job. 14. v. 10. vel extra hunc aut illum Spiritus sanctus. Quae est mutua πρὸς ἄλλοις propter essentiae unitatem, Damasc. lib. 1. c. 11. & 19. De qua pulcherrimè Augustinus lib. 6. de Trinit. c. ult. Singula, inquit, sunt in singulis, & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

90. *Discernuntur verò illa tres personae tum internè, tum externè.*

91. *Internè (id est, quando personae inter sese, absq; omni respectu creaturarum, in vñq; divina considerantur) discernuntur τὰς ὑπάρχουσας, proprietatibus, notionibus sive relationibus originis (quae non sunt accidentales aut rationales, sed reales & substantiales) ἀφ' ἑωσέως, ἑωσέως, καὶ ἐκ πορεύσεως, vel paternitate, filiatione, & processione. Damascenus lib. 1. c. 9. Nazianzenus lib. 3. de Theologia.*

92. *Unde pater definitur prima persona, non nata, nec aliunde procedens.*

cedens, fons & origo trinitatis. ΑΨΥΝΤΩ. Filius secunda persona ab æterno à Patre genita. Γεννῆτός. Spiritus S. tertia persona, à Patre & Filio ab æterno procedens. ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. Damasc. lib. I. c. 11.

93. Dico primam, secundam, tertiam personam, ordinis tantum ratione, non temporis. Sunt enim coæternæ. Nec unquam pater fuit sine filio, nec uterq; sine Spiritu sancto.

94. Huc pertinet regula: Opera trinitatis ad intra sunt divisa, hoc est, sua quæq; personæ propria, non communia omnibus.

95. Externè verò distinguuntur ab operibus & beneficiis erga creaturas, hoc est, proprietatibus quæ elucet in creatione & conservatione, tum rerum omnium, tum imprimis Ecclesiæ.

96. Unde pater dicitur creator, & mittit filium ad opus redemptionis. Filius est redemptor, per quem omnia facta sunt (non ut per instrumentum servile, sed ut per virtutem naturalem & substantialem, Damasc. lib. I. c. 9.) qui assumpsit humanam naturam, & factus est victima pro peccatis. Spiritus sanctus est sanctificator, in quo (fovente & approbante) creata sunt universa, qui regenerat homines per verbum & sacramenta.

97. Hic consideramus regulam: Opera trinitatis ad extra sunt indivisa: id est, non uni soli personæ, sed omnibus personis simul tribuuntur: sine tamen confusione, sed servato discrimine proprietatum personalium. Hoc est (ut observavit D. Lutherus) si absolutè considerantur opera externa, tribuuntur toti trinitati sine discrimine. Sin relatè: consideranda est cuiusq; personæ proprietas, & quo ordine personæ agant.

98. Cujus regulæ hæc est ratio: quia, ut ait Nazianzenus, illud quod operatur, est una tribus personis communis essentia. Unde unus est operator, & unum opus: Servata tamen, ut dixi, cuiusq; personæ proprietate, & agendi ordine.

99. Sic incarnatio ἡ ἀόρατος est opus totius trinitatis: Sed tamen salvo discrimine proprietatum cuiusq; personæ. Nam solus filius incarnatur, Joh. 6. 1. v. 14. Pater autem mittit filium suum factum ex muliere, Gal. 4. v. 4. Et ex Spiritu S. obumbratione concipitur in Mariæ utero filius Dei. Luc. 1. v. 31. 35.

100. Unde hoc $\pi\beta\epsilon\iota\sigma\mu\alpha$ resultat: Quod in operibus Dei ad extra, nominatâ unâ vel duabus personis, tota trinitas intelligenda sit, nimirum propter essentia $\tau\omega\tau\acute{o}\tau\eta\tau\alpha$.

101. Itemq; quod una & eadem operatio nunc huic nunc alii personae recte tribui possit. Ut: Pater vivificat, Joh. 5. v. 21. Rom. 8. v. 11. Filius vivificat, Joh. 5. v. 21. I. Cor. 15. v. 22. Spiritus sanctus vivificat. Rom. 8. v. 11. 14.

102. Quare particula exclusivæ, quæ uspiam occurrunt de una aliqua persona usurpata, non excludunt personas reliquas ab $\acute{\alpha}\mu\omicron\upsilon\sigma\iota\alpha$ divinitatis, sed tantum idola & creaturas: id quod Cyrillus utiliter annotavit. Ut: Solus pater est Deus, Joh. 17. v. 3. Nemo novit patrem, nisi filius, Matth. 11. v. 27. Quæ sunt Dei, nemo novit, nisi Spiritus Dei. I. Cor. 2. vers. 11.

103. Nam respectu creaturarum tres personæ simul, & unaquaq; seorsim, est unicus ille verus Deus.

104. Est ergo hæc vera & sancta nostrarum Ecclesiarum de Deo confessio, quod sit indivisè unus in trinitate, & inconfusè trinus in unitate.

105. In qua sacrosancta trinitate nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus: sed totæ tres personæ coeternæ sibi sunt & coequales: Una substantia, una divinitas, una virtus, una voluntas, unum principium, una operatio, una potestas, una dominatio, unum regnum. Damasc. lib. 1. c. 8.

106. Recte ergo damnati sunt & damnantur blasphemi judæi, Praxeas (anno Christi 200.) Sabellius, (anno Christi 260.) Samosatenus (anno 270.) Noetiani, Patripassiani, Photiniani, Mahometistæ, Starcarus, Servetus, Antitrinitarii: unicam tantum ut essentiam, ita & personam in divinitate statuentes.

107. Nomina plura concedo, aiebat Praxeas, sed Deus unus est, & non nisi una divinitatis persona, quæ $\kappa\alpha\tau' \acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\tau\alpha \acute{\upsilon}\pi\omicron\lambda\eta\phi\epsilon\omega\varsigma \tau\epsilon\acute{\rho}\pi\omicron\nu$ nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus appellatur. Contrâ. Christus rogat Patrem, ut alium paracletum mittat. Joh. 14. v. 16.

108. In homine est corpus, & anima, & spiritus, una persona: ita in Deo

Deo, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus una persona est, inquiebat Sabellius. Nomina sunt tria, una est substantia seu persona, quae est τὸ ὄν, sicut unus & idem homo habet praenomen, nomen, cognomen. Discrimen rationis concedo, non rei ipsius. Contra. Duorum hominum testimonium idoneum est. Ergo multo magis testimonium Dei patris & filii, hoc est, duarum personarum trinitatis. Ex Joh. 8. v. 17.

109. Paulus Samosatenus docebat, Deum patrem, filium & Spiritum sanctum esse unam personam: & in Deo semper esse ipsius verbum & spiritum ipsius, quemadmodum in hominis corde proprium verbum. Epiphanius. Contra. Non ego, sed alius de me testatur, inquit Christus Joh. 5. v. 31. nempe pater. v. 37.

110. Noëtus, praceptor Sabellii (anno Christi 257.) Una, inquiebat, est hypostasis, tria habens nomina. Nam ut pater, tulit legem in veteri Testamento: ut filius, factus est homo in Novo Testamento: ut Spiritus sanctus, venit ad Apostolos. Theodoretus. Hilarius. Epiphanius. Contra. Ego, inquit Christus, mittam vobis paracletum, Spiritum illum veritatis à patre, Joh. 15. v. 26. ὁ λόγος & σὺν ἐμοὶ ἔγενετο. Joh. 1. v. 14.

111. Patripassiani (Noëtiani sunt & Sabelliani) tradebant eandem esse personam, quae à caelo clama vit: Hic est filius meus: & quae crucifixa est. Contra. O Pater, inquit Christus, Luc. 23. v. 34. remitte eis. Nesciunt enim quid faciunt.

112. Photinus & Marcellus (anno Christi 345.) docebant, Deum singulum esse & solitarium, & more judaico confitendum esse non tres personas, sed unam duntaxat. Theodoretus. Marius Victorinus. Contra. Ego non sum solus, inquit Christus, Joh. 8. v. 16. sed ego & qui misit me pater.

113. Michael Servetus Hispanus, & qui eum secuti sunt Antitrinitarii, Georgius Blandrata, Franciscus Davidis, & reliqui, asserunt nullam esse in Deo distinctionem personalem. Servetus lib. 5. de Trinit. Contra. Pater mittit alium paracletum, rogante Christo. Joh. 14. v. 16. & 26. ὁ λόγος & in principio erat apud Deum, Joh. 1. v. 2. quod non debet
intelligi

intelligi ratione essentia, propter quam est in patre, Joh. 14. v. 10. & unum cum patre, Joh. 10. v. 30. sed distinctionis personarum.

114. Rectè etiam damnantur Valentinus Gentilis & complices Tritheita, qui affirmant (secuti Johannem Philoponum. Vide Nicephorum lib. 18. c. 47.) tres esse Spiritus aternos, Patrem, Filium & Spiritum sanctum, essentiali numero differentes. Gentilis prothesi 20. & 23. Contrà. Ego & pater unum sumus, inquit Christus, Joh. 10. v. 30. hoc est, una essentia, unus Deus, unus Spiritus.


115. Blasphemant etiam illi, tres istas personas non esse aequales, sed patrem tanquam essentiatorem longè esse eminentiorem ceteris duabus personis filii & Spiritus sancti, tanquam essentiatis. Sicut causa solet esse nobilior causato. Gentilis libro antidotorum, antidoto 3. Contrà. Cum esset (Christus) in forma Dei, non duxit rapinam parem esse seu aequalem Deo. Philip. 2. v. 6. Omnia quæ habet pater, mea sunt, inquit Christus, Joh. 16. v. 15.

116. Argumenta hereticorum istorum & aliorum in ipso disputationis cursu, clementer annuente & juvante Christo, discutiemus.

117. De singulis autem S. S. trinitatis personis seorsim videbimus sequente disputatione.

COROLLARIUM.

Deus est passus: Estne tropicè dictum? Negamus.



ad 6

99 A 6906

ULB Halle 3
002 633 388




52

6

VD17

Rehe 0







117

...tio Theologica

... UNO ET
... R I N O,

... annuente & juvante,

M. BALTHASA-

S. S. THEOLOGICÆ IN

... si Professore ordinario, ad subjectas
... ingenii viribus re-
... spondebit

... RDUS MESOMY-
... ETTERANUS.

... heologorum auditorio, horis
... omeridianis.



... GI CATTORUM,

... s Egenolphus, Typog. Acad.

... Io. xcviii.

Nov. Hi 6

